

578 Cap. 3. Lib. III. Articulus XIII.

Apocal. I. v. 19. Christi ascensionem vidit similem Filio hominis, hoc est, Christum secundum humanam Naturam in medio septem candelarum aureorum: qua revelavit & significavit Christus, se in medio Ecclesiarum praesentem esse.

3. Apostolus hunc Articulum Sessionis Christi ad dextram **Ephes. I. v. 20.** Dei, eodem modo explicatum reliquit, inquiens: *Christum à dextris Dei sedentem, constitutum Caput Ecclesiae, quæ sit complementum ejus, qui omnia in omnibus adimpleat.* Et rursum: **Ephes. 4. v. 10.** *Ascendit supra omnes Cælos, ut impleret omnia, hoc est, ut omnibus Creaturis gubernandis adesset.*

4. Quomodo item Christo homini Universa in manus tradita? quomodo hic Orbis illi subjectus? quomodo gubernandis operibus manuum Dei (quæ locis à se invicem disjunctissima sunt) prefectus erit, nisi in dextrâ Dei, divinissimo quodam modo, ea sibi citra localitatis respectum habeat præsentia?

Cor. 15. v. 26. 27. **5.** Quia Christo homini exaltato omnia subjecta sunt, adeò, ut nihil exemptum sit, quod ei subjectum non sit; firmissima & in omnem æternitatem irrefutabilis hinc extruitur Demonstratio, quod Humanitati Christi, in dextâ Dei constitutæ, omnia quoque loca, supera & infera subjecta sint.

Ephes. I. v. 21. **6.** Quia teste Apostolo, Humanitas eius est super omne, quod vel in hoc, vel in futuro Seculo nominari potest, nomen: quomodo non etiam supra omnem omnino locum, & quidem in dextrâ Dei, ubi locus non est, eminebit?

7. Si Pater Christo, secundum Humanitatem, dedit potestatem omnis Creaturæ, ut ei dominetur (quæ potestas solius Dei propria est) quomodo non etiam dedit ei potestatem omnis loci, ut omnia locorum spacia, Christo homini, non autem ipse subjectus sit loco?

8. Cumque in illo Dominio Universorum Natura Christi humana non seorsim, veluti sine λόγῳ regnet; sed λόγῳ per